



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Christum serpenti comparatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

innocentes, sicut D. Paulo contigit, atq; ijs euenit, qui ad theatrales bestias damnati vitam & sanguinem, pro Christo, effuderunt. Quamuis enim, non sine prodigioso innocentiae testimonio, vrsi, tigrides, ac leones ante multorum Sanctorum pedes procumbere visi sint; passus est tamen etiam quam plurimos insignes pietate viros Deus, in exemplum constantiae, in signum diuinæ charitatis omnia vincentis, in maiorem æternæ gloriæ coronam, tanquam religionis suæ opimas victimas, ab eiusmodi belluis immanissimè lacerari. Temerarium est igitur, à casibus conscientias iudicare; nec certum impietatis argumentum, sanie viperina perijisse.

Alius quidam, atq; ille sanè sacer *serpens* est, qui non Isidis simulachrum, sed sublime & Propheticum lignum Moyfis saluberrimè coronauit; quem meritò *in perniciem hominum natum esse negaueris*; nempe ille, qui de seipso dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem, in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.*

Aspidem comminiscabantur Ægyptij à probis abstinere, & idem de vipera Melitenses falsò crediderunt, cum de Paulo dicerent: *Vltio* (*Δύω*, *Iustitia*, quam Hesiodus Deam facit Iouis & Themidis, alij Astræi, & Hemeræ, vel Auroræ filiam) *non sinit eum viuere*. Hic, hic, noster, sine peccato, vt ille Moyfis sine veneno, erga pios verè innoxius, immò salutifer *serpens*, eos, qui se vitæ tradunt sceleratæ, non sinit esse inultos. Quippe eâ est prudentiâ, eâ perspicuitate intellectus, vt exactissimè *bonum à malo discernat*; eâ potestate, & æquitate, vt secundùm ipsius iustitiæ diuinæ Leges, *in malos animaduertat*. Qua de causâ cum vates dixisset: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, mox addidit: Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: idque non tantùm in vitijs, quorum capax non est, eliminandis, virtutèque perfectissimè exercendâ; sed etiam in cæteris mortalibus vitio virtutis deditis acerrimè dijudicandis. *Neque enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Quod si ergo Ægyptij Thermuthidi detulerunt honorem facellorum, Numini falso, & vel hinc in superstitionem pernicioso; quid nos facere par est nostro pijs tam salutari, impijs tam metuendo serpenti? qui, ne in iudicium rei adduceremur, se ipsum passus est tolli in crucem, vt nos sanguinis sui theriacâ, à venena-

Astor. 28. 3.

VI.

Io. 3. 14.

VII.

Hesiod. in Ergis.

Isaia. 7. 14.

Ioan. 5. 22.

VIII.